

ti igitur variique fuerunt in ea oppugnanda barbarorum 1480
 conatus : nec uno prælio Christianorum pertinaciam fran-
 gere hostis est adortus , ac disjectis mœnibus , nonnunquam
 intra oppidum irrupti : verum propugnatorum virtute ,
 quorum pars maxima Hierosolymitani fuerunt Equites
 (penes hujusmodi religionis viros in insula totius rei
 summa est) cum ingenti cæde hostis a mœnibus est re-
 pulsus , oppidumque & divina & humana ope servatum .
 Ferunt postea ex ipsis barbaris cognitum , duos viros for-
 ma aliquanto humana augustiore , quandiu tenuit obsidio ,
 noctu incensis facibus , circa muros excubare solitos : ac
 ubi jam prope captum esset oppidum , minaci occursu il-
 los pro muris visos ferrum identidem intentare : atque ita
 barbaros religione percusso cessisse . Creditum vulgo , Pe-
 tri Apostolorum principis ac Pauli simulacra illa fuisse .
 Quod si ita accidit , haud absurdum erit dicere , Rhodon
 non tam humano quam divino præfido tunc servatam .
 Cæterum illud quoque non multo post miraculo datum ,
 eo die quo Othomanus , acerrimus christiani nominis ho-
 stis , vita decessit , Rhodiacus portus ita marinis fluctibus
 repente est destitutus (quando alioquin miræ esset pro-
 funditatis) ut naves quæ in portu stabant , in ipsis vadis
 velut in sicco eversæ sint . Sed illud anno ferme post , cu-
 jus verno tempore majus omnino facinus ille adortus ,
 Hidruntem subito incursu oppressit . Est id Calabriæ op-
 pidum , quod Aulonis littoribus modico maris intervallo
 respondet . Est Aulon antiquum navale ; id breve maris
 spatium , quod locum ab Italia dirimit , quodque quin-
 quaginta habet passuum millia , Pyrrhus Rex pedestri con-
 tinuare transitu , pontibus jactis , primus excogitavit ; post
 eum Marcus Varro , quum Pompeji classibus piratico bello
 præcesset : sed utrumque alia impedire curæ . Hidrunte a
 barbaris oppressa , apparebat Othomanum totis imperii
 viribus Italiæ incubitum : imminebatque ex eo christia-
 no nomini ingens discrimen , nisi matura illius morte
 manifesta Dei providentia terror ille discussus esset . Nam
 medio belli apparatu pestis humani generis extincta est :

*Servatur
Divino præ-
fido.*

*Hidrus in
Italia op-
pressa.*